

motissimè à mari remoto, vbi veteris & nobilis familiae Truthiorū à Wetzhausen pagus est, qui distat ab oppido Rastenburga tribus (ni fallor) miliaribus: lacus is profundissimus est, in quem si altiùs piscatores demittūt retia, Succinum vnà extrahunt.

Ante annos sex prope Regiomontem, cum herbas in sylua quadam, ad Piscinam (quam maiorem vel superiorem appellant) inquirerē, reperi fungos duos candidiores, quibus à terra remotis suberat bitumen purpureum & pellucidum, consistentia resinæ terbinthinæ simillimum, odoris suauitate mira præditum. Id tamen nõ profundè in terram descendebat, nec vera scaturigo suberat, sed ex angustiioribus terræ poris, velut in aceruum, ad pollicis crassitiem, collectum explorauit. arbores longius erant dissitæ, vt resinam dicere non posses, terra verò ex qua eructabatur bitumē, pinguior glebosa, viscida, nigra & ponderosa